

NUMMUS TRIUMPHALIS
 CUM ICONISMIS DUOBUS: CU-
 SUS AD MEMORIAM EXERCITUS PONTIFICII IN-
 ter Padum ac Mincium dissipati: nodi confœde-
 rationis magnâ ex parte soluti. Anno
 Christi 1526.



Onfoederatorum in Italia res, quæ exiguum hætenus suc-
 cessum habuerant, in peius indies ire ac senescere cœpère:
 res verò Cæsaris melius habere; posteaquam præter recen-
 tes copias acquisitas persuaderi sibi Georgius Fronsper-
 gius, Cæsari semper addictissimus, passus fuit: ut cum con-
 scriptis suo ære quatuordecim millibus peditum Germa-
 norum, acceptisque ab Archiduce Ferdinando quingentis equitibus, la-
 borantibus Cæsarianis in auxilium proficisceretur. Is per Tridentinas Al-
 pes, mense Novembri, in Italiam se demittit: frustra Urbinatum Duce, con-
 foederatorum Imperatore, impedire id conante: qui Vaprio profectus Jo-
 hannem Medicem, sexcentos gravis compluresque levis armaturæ equi-
 tes, & circiter novem peditum millia secum duxit: non quidem ut cum ho-
 ste aperto prælio dimicaret, sed infestando, & commeatus impediendo in
 aliquod eum discrimen adduceret. Ac diu quidem, quodnam futurum ef-
 set Germanorum iter fuerat dubitatum: tandem tamen Burgo fortum ver-
 sus id ceperunt: quo cum ipsi tormenta non haberent, quatuor minora tor-
 menta (falconetos vocant) à Ferrariensium Duce missa, Pado sunt adve-
 cta: quod quidem auxilium per se parvum, fortunæ beneficio maximum
 extitit. Nam cum Urbinas illos persequens, in Mantuanum septum, quod
 Serral-